



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XX. Argumentum. Telemachi sententia de occupanda Venusia urbe,
neutri addicta parti. Eius sapientia in iudicandis causis proditorum.
Decretoria cum Adrasto pugna. Telemachi industria & fortitudo. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

è vivis, vivunt, & adedò, ut vita, quæ mortalibus inter miseras defluit, mortis quædam mereatur species haberi. Sola inter se nomina mutata sunt. Dii te velint tanta probitate instruere, quæ dignum istius vitæ te faciat, tam fortunatæ, æternæ, tranquillæ. Abitum hinc propera. Ad quærendum genitorem hora te revocat. Quem priùs, quàm invenias, quantum visurus es heu! manare sanguinis; quantum autem & manare in te ex Hesperia visurus es gloriæ! Consilia sapientissimi Mentoris monitæque fac numquam dimittas ex animo. Quæ si sequenda statueris, fama nominis tui ad omnes gentes, temporùmque ætates perveniet.

Protinùsque Telemachum ad eburneam portam deduxit, qua Plutonii regni caligines permittunt exitum. Discessit ab eo iuvenis cum fletu, & inter desideria inutilia ultimi amplexus. Inferiorum ergo locorum exsolutus tenebris, posteaquam ad Cretenses illos, qui, petenti ad fatalem specum comites, inde reversurum interea desperaverant, rursus pervenit, ad castra sociorum festinavit reditum.

TELEMACHUS.

LIBER XX.

INter hæc Principes exercitus habuêre consilium, utrum occupanda esset Venusia. Urbs erat à munitionibus firma, quam olim Adrastus Bruttiis, vicino Apuliæ populo, eripuerat. Unde ut hæc levarentur iniuriâ, adiunxerunt se fœderi. Adrastus] quidem ad mitigandos eorum animos Lucaniis urbem tradiderat tuendam. Ceterùm mune-

muneribus corrupto alieno præsidio, Præfectoque eius, verè ipse magis rerum potiebatur in urbe, quàm qui illam defendendam acceperant; Apuliis, quorum voluntate Lucaniis Venusiæ custodiam demandârat, ea re delatis in fraudem.

Demophantes quidam erat Venusiæ civis. Is clam fœderatos monuit, ope sua posse urbis portam unam de nocte occupari. Videbatur ea res ante alias usui futura. Quippe Adrastus omnem belli apparatus com meatûsque deportaverat in arcem, Venusiæ adsitam, urbe expugnata hostilem imperum non toleraturam. Iamque Philoëtetes & Nestor tantam opportunitatem censentes haud esse negligendam, auctoritate sua, & mira occasione perficiendi consilii copiarum Præfectos in sententiam suam adduxerant. Contra Telemachus reversus ab Inferis, quantam potuit, operam dabat, ut alia persuaderet universis. Itaque:

Non ignoro, inquit, focii Principes, si quem mortalium ad hoc tempus æquum fuit circumvenire, Adrastum unum esse; cui adeo solenne est fraudum suarum præstigias universo hominum generi offundere. Satis præterea compertum habeo, occupata per insidias Venusia, vos urbem non nisi vestram recuperaturos; vestram, inquam, quia iure legitimo ab Apuliis possessa pars gentis est, vobis vinculo societatis adiunctæ. Et si placet, fateor insuper, ex iure vos acturos propterea etiam, quòd Adrastus, empta Lucaniorum, qui in præfidiis sunt, fide, habet, quoties sibi videbitur, urbis adeundæ obnoxiam copiam. Paucis: Iuxta vobiscum intelligo, capta Venusia, postridie in potestate vestra illud hostilis apparatus receptaculum,

lum,

lum, finemque belli tam horribilis futurum. At numquid præstat mori, quàm hac ratione vincere? Numquid fraus propulsanda fraude? Permittetis scilicet ore posteritatis iactari, tot ad ulciscendas Adraſti fraudes & fallacias coniunctos reges & ipsos fefelliſſe. Adraſtus culpâ vacat, & rectè ſcelerum ſuorum proſequitur vindices, ſi, quod ille perpetravit, nobis patrare culpæ non ducimus. Ergone tot coloniis Græcorum obſita, tot ex illato Troiæ incendio illuſtratis Heroibus frequens Heſperia videt una hæc arma ſibi ſuppeterere adverſus ſceleſtam perfidiam? Sacramenti religione tenemini non depellere Venuſiâ Lucaniorum præſidium. At enim depravatum Adraſti pecuniis eſt. Neque ego id dubito. Accipit tamen ſtipendia à ſolis Lucaniis: Eorum imperium nondum detrectavit: ſpecie ſaltem utriusque partis amicitiam coluit. Nondum aliquis Præſectorum eius intravit Venuſiam. Tenet adhuc pactum; tenet adhuc in Deorum memoria à vobis data fides. Aut tunc ſolùm tenet fides, cùm prætexi non poteſt illi violandæ ſpecioſum nomen? iurataque verba tum demum religioſa incipiunt eſſe, cùm quæſtui non videtur ab iis deſciſcere? Quod ſi vos nec amor virtutis, nec reverentia Deorum iam movet: At certè moveat honeſtas nominis, moveat veſtra ipſorum utilitas. Quæro enim abs vobis, ſi mortales reliqui tam pernicioſo exemplo intelligent, ad relinquendam fidem vos deſiderio finiendi belli poſſe induci: quæ hac tam iniqua agendi ratione bella non excitabitis? Quotusquisque de finitimis peſſima quæque à vobis etiam invitus non metuet? Quis vel in maximis periculis ad veſtram opem confugiet? Iam ſi forte
 ſimpli-

simpliciter agere vobis in animo est, idque magni
 vestrâ refert ab affinibus credi, quod dabitur
 pignus? Agetis pacto? At hunc rem publicam
 transigendi modum profanastis. Iusiurandum in-
 terponetis? Ignorabitur tunc scilicet, spem com-
 modi Diis potioem à vobis duci. Pax ergo, quam
 inibitis (quod ad vos) non plus securitatis habe-
 bit, quàm bellum. Quidquid deinceps geretur à
 vobis, aut recta aut aperta inimicitia reputabitur.
 Æterni hostes eritis illorum, quos regionibus ve-
 stris iniquitas fortis propiores adiunxerit. Respu-
 ent vires vestras, quæcunque erunt honestè, sim-
 pliciter & agenda cum fide. Nec ulla demum vo-
 bis relinqueretur ratio, fidem promissorum vestro-
 rum cuiquam hominum faciendi.

Est autem aliud prætere commodum illudque
 ante ea, quæ nunc commemorata sunt, longè gra-
 vissimum, animisque vestris, nisi iam omnem sen-
 sum integritatis & propriæ rationem salutis exue-
 rint, id, quod volo, persuasurum. Huiusmodi frau-
 dulenta voluntas, inquam, domesticam calamita-
 tem & denique exitium vestræ societati allatum
 ibit. Profanata fides inferet palmam in Adraasti
 manus.

Hæc ultima universam concionem moverunt.
 Petebant autem, cur non dubitaret asserere, vo-
 luntatem, quæ sociis afferret certam victoriam, so-
 cietati eorum allaturam exitium? Ad quæ Tele-
 machus: Ecquis vestrûm alterius committet se
 fidei, vinculum societatis unicum, fidem, si vel ne-
 gligetis semel? Constituite hanc disciplinam, fas
 esse à præceptis integritatis & fidei abire, nisi uti-
 litas abeundi nulla extiterit. Peto à vobis: Quis

B b

vestrûm

vestrūm alteri obligabit fidem, quando ex eo, quòd non præstat, sed labefactat fidem, magnum fructum contigerit consequi? Quid fiet tum demum vobis? Quotusquisque nolet vestrūm focii sui fallaciam prævertere dolis? Quid fiet magno vinculo tot populorum, si decernant iunctis consiliis, nefas non esse socios occupare ex insidiis; iuratis præstare contraria? Quæ tum inter vos de vobis ipsis opiniones dubiæ, quæ discordiæ, quæ flammæ, studiâque mutui mali ac ipsius denique interitus? Quid Adraſto opus armis? Vos ipsi odiis vestris obteremini. Vos ego, quorum tanta in gerendis rebus sapientia & magnanimitas, in regendis innumerabilibus populis tam diuturna exercitatio, vos ego obtestor: Nolite, quæso, vobis reputare indignum audire meum etsi adolescentis iudicium. Si in turbulenta illa mala, quibus subinde populos necesse est involvi bellô, incideritis: potestis vigili cura, potestis virtute animi (semper enim clade superior fortitudo est) ab illis expediri. At si fidei honestatem propugnaculis spoliavit perfidia: malum ineluctabile, æternum est. Nec illa amicitia coniunctio, sine qua successus labant maiorum negotiorum, tum instaurari, nec illa summa ratio virtutis à vobis potest refuscitari in animis hominum, quos eam aliquando docuistis contemnere. Quid timetis? Sine fraude vincere dubitatis posse? Virtus ergo vestra roburque tot gentium non sufficit? Agite! pugnemus! Moriamur, si ita fatis, prius, quam vincamus cum dedecore! Illud impietatis portentum Adraſtus in manu nostra est, si indignitatem, si perfidiam eius pigebit imitari.

Tele-

Telemachus ubi finem sermoni imposuit, sentiebat ad persuadendum iucunda, intimisque animis auditorum recepta dixisse. Erat ab omni concione silentium. Nemo quisquam aut Telemachum, aut quàm suaviter, sed quàm dixisset vera, meditabatur, ex iis perspicienda, quæ è momentis rationum suarum deduxerat. Admiratio communis omnium & luculenta. Tandem occulti fremitus audiri, qui per totam concionem sensim manabant, hæsitantem tamen adhuc inter mutuos aspectus, nullo laxare silentium auso. Expectabantur è ducibus, qui, quid placuisset, edicerent; molestumque erat singulis trahere suspensum iudicium. Tandem Nestor, qua pollebat gravitate dicendi:

Dii te, inquit, magnum ex Ulyssæ genus, aptavêre ad hunc sermonem; & quæ animum genitoris tui Minerva consuevit salutaribus cogitationibus imbuere, tibi suggessit, quod modò indicâsti, prudens & magnanimum consilium. Non iuventutem tuam respicio; sed dominantis in unoquoque verbo tuo Minervæ numen revereor. Virtutem suscepisti defendendam, sine qua maximi fructus detrimentum; vindicta hostium, diffidentia sociorum, bonorum odia, ipsaque Deorum indignatio in foribus. Retineat ergo & deinceps Venusia Lucaniorum præsidium; nos verò id unicè demus operam, ut virtus nostra palmam Adraсто extorqueat.

His prudentissimè dictis tota assenssa est concio; simul cum admiratione Ulyssis filium quisque aspexit, existimans, se in hoc iuvene Minervæ sapientiam, quam ipsa eidem instillaverat, intueri.

Agitari paulò pòst & aliud cœpit in regum consilio, unde tantundem laudis Telemacho obtigit. Adrastus, ut semper volvebat crudelitatis & perfidiæ consilia, Acanthum quendam, transfugam in castra miserat, ut præcipuos in exercitu veneno extingueret; atque inter eos Telemachum maximè, Dauniorum genti iamiam terribilem. Et verò Ithacus pro magnitudine animi sui longè simplicioris, quàm ut suspicaretur nefanda, proditorem accipiebat facillima humanitate, audiebátque ex eo, quoniam Ulysses in Sicilia viderat, quæ accidissent genitori. Porro præter necessarium victum operosa solatia præbuit desolenti fraudes & iniurias, quibus ab Adrasto fuisset oneratus. Atqui hoc erat viperam fovere sinu, morsu illaturam necem bene de se merito. Ceterùm interceptus fortè transfuga alius (Arionem vocabant) missus ab Acantho nunciatum Adrasto de fœderatorum exercitu, & quòd postridie nobilissimos regum unum cum Telemacho in convivio, sua causa eodem iubente exornando, epulis mixtum virus esset sublatum. Ergo scelestum consilium Arion confessus in vinculis, suspicioni aperuit locum, eius rei se Acantho ob amicitiae coniunctionem esse conscium. At Acanthus quàm simulandi peritus, tam intrepidus animi, eâ astutiâ à se amoliebatur scelus, ut nec ipse potuerit sceleris convinci, nec nefariè cogitata penitus cognosci.

Erant nihilominus inter reges, qui censebant, re quamquam dubia Acanthi salutem communi ipsorum postponendam: Dignum esse, qui iugulerur. Vitam unius hominis habendam nauci, qua desineret vita periclitari tot regum. Nihil denique referre

vel

vel innocentem perimi, ne ipsi perimantur, qui vices Deorum inter homines sustinerent.

Hic vero Telemachus: Ecquod audio hominibus indignum placitum? Ecquod barbaræ Politicæ præceptum? Quid? humanus sanguis regibus tam vilis est? Vos ergo, qui constituti estis pastores regesque hominum, ut eos, quemadmodum pastor oviculas, fervetis diligenti custodia; Vos, inquam, lupos an pastores video? pastores certè, sed ad tundendos immolandosque, non pascendos greges. Tenerur vobis, qui vel accusatur, sceleris. Suspicio sola iam habet causam capitalis supplicii. Obicitur innocentia calumniatorum & invidentium licentiæ. Atqui ita pro atrocium suspicionum vestrarum incremento augebitur numerus illorum, quos accusandi libido volet inferias.

Tanta auctoritate, tantæque contentione hæc dicta à Telemacho, ut communem affecuta consensum verecundiâ operirent auctores tam abiecti consilii. Subinde paulò mitior: Ego verò, inquit, caput hoc usque adeò magni non facio, ut tanto redimendum existimem. Acanthum, quàm me, impium esse maluerim. Leviori meo dolore vitam mihi eripuerit illius proditio, quàm illi dubio adhuc facinore mea per nefas opera. At heus vos! vos, aio, qui reges seu iudices populis dati ignorare non debetis, quomodo sanctè, prudenter, moderateque iudicandi homines: date mihi hanc veniam, ut de Acantho vobis audientibus quæstionem instituiam.

Protinúsque hominem de usu, qui ipsi cum Arione intercessisset, interrogat. Premebat rem persequendò minutissima, quæ ad rem vide-

bantur pertinere. Semel atque iterum simulabat, eum utpote transfugam & desertorum pœnâ dignum remissum iri ad Adrastum. Hoc agebat eo consilio, ut experiretur, utrùm id genus minae moverent scelestum. Itaque, perseverante proditoris eodem ore & voce, iuvenis statuit, Acanthum conscium esse scelestæ voluntati.

Tandem rei veritatem cum ex abstrusiore animo eius nequicquam prolectâisset: Cedò mihi, inquit, quem geris, anulum. Adrasto mittam. Ad hæc inopina expallescere Acanthus, perturbari. Quo viso Telemachus (neque enim à vultu scelesti movebat oculos) detractum digito anulum accipit, &: Actutum, inquit, hunc ad Adrastum Lucanius quidam, Politropus, inquam, quem nôsti, feret, quasi à te clam ad ipsum sit missus. Quare si cum Adrasto cognosceris consensisse, per cruciatus ultimos enecaberis. Si verò hoc vestigio confitebere scelus, dabimus veniam, nisi quòd in insulam (quæ pœna nobis satisfaciet) hinc deportaberis, ubi nullius copia rei, quæ tibi sit opus, deficiet. Tum verò Acanthus pleno ore scelus confessus est. Effecitque Telemachus, ut quam reo promiserat, vitæ gratiam reges concederent. Missus est in Echinadas insulas, ubi innoxius à turbis vixit.

Fervebat adhuc istius sceleris memoria: cum Dioscorus, Daunius natione, humili quidem loco, sed ad audenda quæque natus in fœderata castra obscura nocte pervenit, præferens apud reges paratum animum, Adrastum in tabernaculo suo opprimendi. Et erat rei, quam pollicebatur, agenda copia. Habet enim in potestate sua alienam

nam

nam vitam, qui contemnit suam. Dioscorus, ob raptam ab Adraſto coniugem eximiae pulchritudinis totus immerſus ulciſcendi deſiderio, conſtituit pro recuperanda illa aut Adraſtum aut ſe ipſum perdere. Quare clandestinam ſocietatem iniit; poteratque ex ea non regis modo tabernaculum ingredi de nocte, ſed & operam multorum Praefectorum fretus eſſe. Cenſuit tamen opus praeterea, uno eodemque tempore à foederatis caſtra regis occupari, ut hac trepidatione ipſe cum coniuge ſua facilius poſſet elabi. Quod ſi efficere per vires ſuas non liceret, caſo ſaltem rege non recuſabat mori.

Hac voluntate Dioſcori cognita, praesentes reges convertuntur ad Telemachum, velut peturi ab eo ſententiam. Et ille: Dii, inquit, quorum beneficio evaſimus proditorum manus, nolunt utilem nobis eſſe operam proditorum. Sua quemque ſalus, etiamſi virtute noſtra proditionem non oderimus, aſpernari id genus ſceleris iubet. Datò proditioni calculò, digni erimus, in quos ſuum ipſa convertat ſpiculum. Quis enim tum noſtrum eo ex tempore erit ſine metu? Fieri ſanè poſteſt, ut deſtinatum à nobis ſibi icſtum in capita noſtra Adraſtus declinet. Itaque deinceps in ipſo bello deerit bellum. Inter nuces putidas collocare ſe debet virtus & ſapientia. Belligerabit una perfidia, prodition, parricidium. Nos ipſos, quae inde conſequentur, mala, & non immeritò prement; utpote quibus facinorum facinoroſiſſimum aſſenſu videbatur ſuo roborandum. Ego itaque ſic exiſtimo, rectè ad Adraſtum proditorem remitti, non quia id rex ille de nobis ſit meritis, ſed quia univerſa Hesperia,

Græciâque, in quarum oculis omnia gerimus, merentur eo, quod suasi, exemplo edoceri; unde præclarè de nobis sentient. Pietas scilicet, quam nobis, eâmq̃ maiorem debemus Superis, iubet esse à perfidia alienos.

Reducitur ergo Dioscorus. Cohorruit Adrastus viso discrimine, in quo fuisset; simul hostium suorum nobilissimam voluntatem obstupuit. Monstrum enim improbitati est virtus sine fūco. Mirabatur etsi invitus, quod tanta videbat laude factum; ceterùm laudare non sustinuit. Faciebat ram ingenuum facinus, ut cum rubore recognosceret, quidquid ante hoc tempus cum fraude, & crudeliter gesserat. Utque conabatur illustrem hanc laudem fœderatorum Principum atterere; ita cùm meminerat iisdem vitam suam debere, erubuit videri ingratus. At citò occallent ad honesti stimulos depravati animi.

Igitur Adrastus, latiùs & cum quotidiano incremento ex castris hostium manante fama rectè factorum, rem illustrem contra illos moliri, præquàm aliud, necessarium duxit. Ut autem nihil gerere didicerat ex disciplina virtutis; ita armorum denique auxilio fructum non spernendum comparare decrevit. Festinabat ergo prælium.

Aderat certamini decreta dies: cùm Telemachus sub ipsa auroræ initia expeditus somno, curâmq̃ & industriam præveniens veterrimorum in exercitu, duces copiarum ad consueta munia excivit. Iâmque galeæ iubar, fluentibus cristis commodè distractum dissipatùmque, obibat herois caput. Iâmque lorica ab humeris fulgore diffuso multabat temere incurrentes aspectus; & Vulca-

niæ

niæ artis prodigio, scuto, præter suum decus, lumen ex Ægide, quæ in eo latebat, accesserat. Altera manu librabat hastam; altera ostendebat occupandos locos. Minerva divinos ignes afflaverat oculis, ori alacrem dominantis habitum & præfagum victoriæ. Procedit. Reges, non ætatis, non amplitudinis suæ iam memores, sequebantur; decedentes nimirum altiori virtuti, quæ se quisque sentiebat trahi. Hebescebant tum invidiæ & æmulationis aculei. Dominabatur in omnes, quem non sentientem Minerva ducebat manu. Nulla in eo aut agendi importunitas, aut inconsulta festinatio. Lenis erat, tranquillus vultu & animo, patiensque consilii, & prudens utiliter sequendi eius; promptus deinde ac providus, attentusque ad necessitates etiam multò post futuras; reddens denique singula temporibus suis. Ad omnia abunde præsentis animi ipse turbabat neminem: excusabat errores: emendabat, quæ acta perperam: eaque præveniens, quæ vexationi poterant esse, nec exigens quidquam ultra vires, excitabat in omnium animis ingenuam in se fiduciam. Negotia dabat simplicissimis verbis, & non dubie significantibus imperata. Utque rectiùs instrueret facturos, nunquam omittebat ea repetere. Indicium capiebat ex oculis, num rite percepissent agenda. Familiari deinde sermone eos iubebat enunciare, quo sensu verba imperantis, caputque rei imperatæ accepissent. Hac ratione ubi satis exploravit facultatem peracturi opus, eidemque rationem illius persuasit: ut maiores adderet animos, non abs se dimisit prius, quàm quoquo modo ille intelligeret, multum æstimationis & spei in opera sua à duce poni. Ita

factum, ut quicumque ab eo mittebatur in opus, mira arderet cupiditate, gratiam imperantis rite imperata præstando ineundi. Ceterum dimittebantur, liberi metu, culpæ ipsis fore sinistros eventus: omnia quippe excusabat, quidquid aut voluntate aut pravo animo non erat malè gestum.

Quæ oculis nostris cæli plaga videtur terrarum orbi coniungi, igneum ruborem ex primo solis fulgore susceperat; eoque accensum pelagus longè latèque collucebat. Quanta continens excurrebat ad mare, viris, armis, equis, curribusque movebatur offusa. Miscebat aures incertus fremitus, qualem procellâ commotæ abyssus aquarum edunt. Itaque armorum inhorrescente strepitu, bellique appropinquantis formidoloso apparatu Mars efferatam rabiem dispensare animis. Cuspides hastarum surgentium speciem toto campo reddebant stipatæ segetis & iam maturæ ad falcem. Conabantur elati pulveres nubem, terrarum, cælique prospiciendi copiam magis ac magis attenuantem. Consternatio, terror, cædes, barbara mors paullatim afflabat ordines utriusque exercitus.

Ubi prima tela emissa in hostem, Telemachus habitu piè supplicis: Vides, inquit, Deorum hominumque Pater, omnipotens Iupiter, esse in partibus nostris iustam causam, pacis insuper quæsitæ industriam. Pugnamus inviti. Liceat utinam parcere humano sanguini! Sed neque hostem odimus, quantumvis crudelem, insidiosum, fœdissimum. Utriusque causam perpende, iudica. Iubes mori? In manu tua vitæ nostræ, mortisque arbitrium. Iubes Hesperiam liberam, tyrannidem fractam & iugulatam esse? Tua unius virtute, & eius,

eius, quam tute genuisti, sapientia illam libera-
bimus; hanc frangemus. Decus victoriæ uni de-
bebimus tibi; quippe fortes discriminum libranti
ex æquo. Causam tuam hisce armis defendimus
Adrastus, quoniam tu iustus & æquus es, non tam
noster, quàm hostis tuus est. Ante occasum istius
lucis causa tua si vincet, Hecatomben aræ tuæ
accipient.

His dictis ad pugnam eruditos, & ex ardore
ineundi cursus spumantes equos, quæ densissimi
stabant hostium, incitavit. Protinûsque in Locren-
sem quendam incidit. Periander erat, Leonis pelle
terribilis, interfecti sua ipsius manu, cùm peragra-
ret Ciliciam. Clavam gestabat, illi Herculis nihil
magnitudine, nihil nocendi terrore inferiorem.
Habitus corporis procerus & robustus; qualem
ferè in cœli oppugnatoribus formidârunt Dii. Is
ût primùm Telemachum aspexit, contemptu mol-
lioris elegantiorisque ætatis eius: Et rectè tu qui-
dem iuveneule, inquit, dubiam nobis palmam red-
dis discriminis. I, tenelle, genitoris sinu te inter
Umbras conde. Inter hæc probra clavam crebris
nodis asperatam sustulerat, non pondere tantùm,
sed radiis etiam ferreis aucturam cladem. Arboris
nauticæ speciem maximè faciebat porrecta in al-
tum. Pavebant omnes ad futurum ictum; quem
tum quidem unius minitabatur cervicibus Tele-
machi. At iuvenis commodè librato corpore inci-
dentem illam effugiens Periandrum ea celeritate
occupat, qua maiore nec aquila per auras ruit.
Delapsa clava rotam currûs contrivit proximi ab
eo, quo Telemachus vehebatur.

Inte-

Interea Periandri guttur transfixerat spiculo. Secuta vis ingens cruoris vocem oppressit. Equi feroces æstu, ut sensere ab officio fluentem rectoris manum, habenasque laxatas temere labi per colla, ultro citroque ferebantur impetu. Labebatur è curru: recusabant lucem clausi oculi: Os totum deforme, & alienum à se, pallor morientis invaserat. Miserabatur infelicem Telemachus, pelléque leonis & clava servatis argumento victoriæ, corpus interfecti servis demandavit curandum.

Tam prosperis rebûs auctior animi, cœpit ipsum Adrastum in conferta multitudine expetere, cæso, dum huic voluntati insistit, ingenti hostium numero. Fuere inter eos præcipui, Hyleus, quem vehebant biiuges, in vasti Aufidi vallibus adulti, solis equos imitantes proximè: Demoleon, Erygi quondam inter Siculos clarissimo pugna cæstum paulò inferior: hospes & amicus in Hesperiam ad interficiendum Cacum proficiscentis Herculis, Crantor: porro Menecrates Polluci dexteritate luctandi facturus invidiam: Hippocoon quoque Salassus, modum, quem in gubernandis equis Castor adhibuit, secutus: Dehinc, ingens inter eos, qui insectantur feras, nomen, Eurimedes, qui perpetuò pulchréque fordidus cruore ex urfis aprisque, quos in nivalibus Apennini iugis sternebat, adeò fertur Dianæ placuisse, ut ex eadem ipsa didicerit rectè sagittis uti. His Nicostratum addidit victorem gigantis, in Gargana rupe infesti flammis prorumpentibus ex ore: Eleantum denique Pholoës, ex Liride fluvio adolescentulæ, nuptiis initiandum.

Natus

Natus erat ad ripas illius fluminis alatus serpens, quem interempturum Pholoën Oraculum prædixerat. Patre ergo pollicito, futuro liberatori suo sponsam fore, Eleantus amore virginis ad perimendum monstrum se obtulit tam prospero rei successu, quam nullo victoriæ usu. Quippe dum Pholoë adornandis nuptiis addicit iucundum otium; dum uritur Eleanti absentia: docetur tristibus nunciis, secutum Adraasti arma crudeli fato concessisse. Ex quo illa vicinas patrio flumini sylvas montesque implere gemitu: inundari fletu: evellere dignum amandi illicium, comam: omittere, virgineis manibus opus, texendos in ferta flosculos: inclamare crudele cælum: non die, non nocte vacare vel acerbis lacrymis vel dolore; adeò, ut accedente supplici genitoris voce tanto eam mærori eximere Dii decreverint. Ob fletum, magna copiâ effusum, derepente mutata in fontem est, qui alveum fluminis subiens, liquorem suum aquis miscet inter Deos constituti genitoris, adhuc acerbum gustu, & delabentem per ripas, nec graminibus, nec umbris unquam iucundas, nisi quas tristes cypressi proiciunt.

Interea Adraustus audiens, Telemachi formidinem latius manare inter suos, summa voluntate studioque hunc sibi depoposcit adversarium; quem non dubitabat ut ætate, ita etiam dimicatione futurum inferiorem. Erant circà regem triginta Daunii robore, dexteritate audaciâque insignes inter cæteros. His spes facta opimi præmii, si Telemachum, utcunque fors ferret, in pugna occiderent. Et herclè si initio discriminis rex incidisset in æmulum, & delecta illa manus se
cir-

circumfudisset Telemachi vehiculo, ipso à fronte hostem adorso: dubium haud est, nulla ferè opera fuisse conficiendum. At Minerva iisdem errorem obiecit.

Quà tumulo cuidam se adiungit equitabilis planities, miscebatur frequens certamen; crediditque Adrastus se ibidem loci & videre & audire Telemachum. Properat: volat: ratum est, eius potari sanguine. At pro Telemacho Nestorem vidit, vacillante ob decrepitam ætatem manu tela quædam temere & innoxia emittentem in hostes. Adrastus ergo concepto impetu Nestorem ibat perfossum; cum ad tuendum eum turma Pyliorum se obiicit.

Tum verò vis incredibilis telorum emissa, offensa luce caliginem, quæ ferè existit à nubibus, offudit universo pugnantium agmini. Lugubris morientium clamor, armorumque corruentium interdum dimicandum strepitus aurium usum turbaverat. Cumulabat horribilis strages cadavera, passimque rivi sanguinis præcipitabant solò. Mars & Bellona, inter Furias cruento debacchantes habitu, iucundè inhærebant immani spectaculo, assiduè instaurantes rabiem, sub pugnandi exordium infusam animis, atque ab iis (ut infesta hæc sunt mortalibus Numina) magnanimam misericordiam, moderatam fortitudinem, pacatamque humanitatem procul auferentes.

Philoctetes ipse, lentiùs adhuc progressus cum suis, sagittasque Herculis ferens manu, tum properabat in Nestoris auxilium. Contra Adrastus cum telis suis ferire divinum hunc senem non posset, inde averfus, iisdem ingentem cladem Pyliis intulit. Iamque Etesilam percusserat tam præpetem

tem agilémque cursu, ut vix sabulum offenderet vestigio, Eurotámque & Alpheum (patriæ suæ flumina erant) summa vi agentes undas, celeritate præverteret. Ad pedes eius corruerat quoque præter venatu præstantem Hippolytum Hylâ venustior Entiphron; tum Pterelas, qui transmari- nam expeditionem ingressus cum Nestore ob audaciam animi, robúrque corporis gratiâ ipsius Achillis floruit. Horum denique stragem auxit Aristogiton, quem in Acheloo flumine abluentem corpus affirmabant inde occultam vim in diversas formas abeundi traxisse. Et sanè movebat is corpus dexteritate tam agili, ut elaberetur robustissimis manibus. At Adraustus traiectum hasta fixit, vitámque inter vim sanguinis exturbavit.

Itaque Nestor ut nobilissimos sui exercitus vidit sub terribili Adrausti manu non secus atque falci- bus decussas stipulas procumbere; haud satis me- mor, quanto discrimini canos suos inutili audacia obiiceret, amisso tum consilio, institit unum dun- taxat Pisistratum, qui servandi genitoris causâ pro viribus magnâque diligentia hostibus resistebat, oculis sequi. At momentum, quod evitari fata non sinunt, aderat, quo Nestor ex Pisistrato sentiret, quàm solitô longior ætas subinde miserabilis esse consueverit.

Pisistratus hastam tanto nisu in Adraustum con- torserat, ut, nisi opportuna declinatione corporis effugisset iectum, ab ea haud dubitarent periturum. At dum iuvenis in vanum lapsa manu protensum faciendo vulneri corpus ægrè cum hastili recupe- rat, emissio adversarii iaculo per media ilia traiici- tur; quæ illico extrusa per vulnus ingentem vim
sanguini-

sanguinis traxere. Destituebat mox vultum, ut
refectum in agro florem, quod ex colore recipit,
decus. Caligo ferme illapfa oculis: vox ad lan-
guorem deflexa morientium. Collabentem Alcæus
(hic à moribus eius erat) proximus continuit;
ægréque permittebant reliquiæ spiritûs, exceptum
brachiis deferri ad patrem. Hic dum ultimæ pie-
tatis signa molitur edere aliquo vocis sono, sub
ipsum conatum recludendi oris exspiravit.

Inter hæc dum Philoctetes cædibus & terrore
diffuso Adrastum conatur reiicere; Nestor com-
plexus cadaver extincti filii, emisso clamore, qua-
lem solent in luctu, nec iam aspectum lucis ferens:
Me infelicem, inquit; infelicem, & quod pater, &
quod tam longævus sum! Heu crudele fatum!
huic cur parcebas capiti, cum aut feram Calydo-
niam, aut Colchidem, aut primò infesta petebam
Pergama? Licuisset tum honestè & sine dolore
mori; qui nunc ingloriam senectutem & impo-
tentem inter dolores traho. Vivo scilicet, ut miser
sim. Senuerunt mecum sensus reliqui; solus ille
mæroris & tristitiæ viret. Pisistrate! fili! Amise-
ram Antiochum, germanum tuum. At tum or-
bitari meæ tu adhuc superabas solatium. Nunc
verò eheu! non superas ampliùs. Sed neque iam
aliud superat obnoxio miserrimæ liberorum soli-
tadini. Despera miserabilis senex! Levamen hu-
manæ miseræ, spes, inquam, dehinc se non præ-
stat tibi. Antioche! Pisistrate! filii, quos velut
simul ereptos hac luce desleo infelix genitor! In-
staurat mors unius, quod alterius fata incusserunt,
vulnus. Aspexi ambos ultimùm. Istos quis ergo
mihi demum claudet oculos? Meos cineres quis col-

colliget? Obiisti, Pisistrate, & exemplo fratris fortiter. Obire fata solum me non sinunt.

Hos inter gemitus iaculum, quod habebat, convertit in se. At, cohibita manu eius, etiam cadaver nolenti ereptum est. Inde cum linqui cepisset animo, defertur in tabernaculum, pauloque receptis viribus rediturus in discrimen rursus à suis dolens avertitur.

Dum hæc aguntur, Adrastus & Philoctetes alter alterum perquirebant ad pugnam. Scintillabant utriusque oculi quasi leonis & pantheræ, quos in planitie Caystri fluminis ad muruum interitum iam accendit rabies. Minæ, furor, crudelitas emicabat vultu. Sequebatur certa strages, quocumque emiserant tela. Tenebant utramque aciem formidoloso aspectu. Iam ambo subierant sui quisque æmuli oculos. Philoctetes manu iactabat unam ex sagittis, quæ, quia certò feriunt, habentur terribiles, & quia sanari nequit, si quod fecere vulnus. Ceterum Mars (quæ erat ipsius in crudelem & intrepidum Adrastum benevolentia) permittere haud valuit, clientis sui fata maturari tantopere; statueratque eius operâ tam fœdum bellum ad multiplicandas strages populorum extrahere. Urgebant præterea Adrastum irati Dii fuso humano cruore à mortalibus exigere supplicium.

Simul atque regem occupaturus erat Philoctetes, lancea ipse perstringitur. Amphimachus illam incusserat, ut ætate florens inter Lucanios, ita Nireum præstans oris habitu, Græcorum regum, qui pugnâre ad Troiam, longè pulcherrimum, specièque uni Achilli decedentem. At Philoctetes ut primùm sibi inflictum vulnus persensit, Amphimachus

machum telo confixit per medium pectus adactō. Protinus tristis caligo incidere in eius, ex nigrore alioquin lætiores, oculos: os multò, quàm diffusa per primum Orientem aurora, licentiùs purpureum in pallorem declinare: genæ quàm antea decenter collucere, tam nunc fœdum in modum exalbescere: facies mollicula, & quantum bellatorem vix deceat, venusta subitò omni honestate spoliari. Commovebat ipsum Philocteten tam fœdè pereuntis aspectus. Totòque exercitu audiebantur gemitus videntium hominem hac ætate prostratum cruore suo volutari, comamque capitis, Apollineâ meliorem, pulveribus tractam implicare.

Cæso Amphimacho Philocteten sanguis cum viribus deficiens prælio coëgit excedere. Vetus quoque plaga, ipso ardore pugnandi videbatur rupta cicatrice dolores suos revocatura. Et forte super cumulata interfectorum cadavera, quibus undique stipabatur, collapsurum Archidamas audacissimus peritissimùsque Oebaliorum, quos ad condendam Petiliam Philoctetes deduxerat, tum rapiebat ex acie, cum Adrastus superveniens nullo negotio prostraturus fuisset debilitatum ex vulnere. Iamque nihil erat, quod Daunio aut resistere auderet, aut victoriam suspendere. Omnia vel protrita, vel averfa in fugam; ut cum torrens superata mole præceps in rura, vesanis fluctibus segetes, stabulâque cum custodibus eorum & tectis abripuit.

Exaudiebat Telemachus clamorem, quem victores edebant, allapsum è longinquo. Vidensque ordines dissolutos suorum, ab Adraсто refugientium

tium

tium velut dissipatum ferarum agmen, quas per agros sylvarumque & montium devia, alveosque rapidissimorum torrentium pavor præcipitat; in gravem solutus gemitum, indignationem & iram nec vultu continuit. Ex illa aciei regione, in qua adhuc quanto cum periculo, tanta cum laude pugnaverat, movit. Promptusque suorum auxilio, & cruore hostium, quorum strage arenam impleverat, natans magis quam perfusus, appropinquabat tanta eminus vociferatione emissa, ut ad utriusque aures exercitus perveniret. Præter consuetudinem horribile quid voci eius Minerva addiderat, cuius terror etiam ad proximos montes pertinuit. Thraciam herclè minor ferit clamandi immanitas, cum Mavors præter Bellum Mortem Furiâsque citat ex Inferis. Ceterum os Telemachi, tanta ferocitate auditum, suis ingentes ad audendum spiritus, hostibus terrorem ultimum algoremque membris induxit. Ipse Adrastus, cum sentiret vacillare sibi animum, erubuit. Nescio, quod in pavorem ipsum dabat infelix omen. Quæ adhuc illi supererat ad pugnandum alacritas, desperatio erat veriùs, quam tranquilla fortitudo. Ter destituebat eum concussum genu. Ter se inhibuit incerto consilio. Color, qualem in iis conspicimus, qui linquntur animo, gelidusque sudor omnes artus percurrebat. Vox aspera & micans inæqualibus intervallis hæsitabat post verborum initia. Oculi obscure ignei, & internitentes dispersè, videbantur sedibus suis exciri. Furiarum tædis stimulisque non secus, atque olim Clytemnestræ interfector, grassabatur incitatus. Motus in eo non alii, quam quos spasticos appellant, ex

nervis contractis & rigentibus vehementes incertique. Tum demum Deos credere vero animo cœpit. Arbitrabatur se eorum irritatos vultus intueri, vocemque audire obtusò sonò, atque ima ex abyſſo elatam ſurſum, eum ferociter poſtulantis ad Tartarum. Proficiſcebantur hæc omnia à cœleſti manu, quæ magis magiſque ingraveſcens ſceleſto illius capiti, in futurum impendebat vulnus. Iamque ſpe funditus ablata ereptaque, audacia quoque diſſipata animò, velut in pelagi ſinus ablato ſole tenebrisque obvoluta terrâ dies, receſſerat.

Impium Adraſtum tam foviffe diu telluri fuiſſet piaculo, niſi iſtud flagellum retinuiſſet ſcelerata mortalitas. Sed tum ad ultima facinoroſum hoc caput pervenerat; obviùmque inevitabili fato ſuo agitabat rabies. Formido, triſtis conſcientia, turbæ animi, furor, ira, deſperatio incitabant magis, quàm euntem comitabantur. Telemachum vidit: ſimul velut Averni fauces, igneâſque Phlegetontis procellas, dehiſcentes in ipſum, intuitus, horrendos clamores excivit, ore uſque diducto, atque in verba inutiliter hiantes; ut ferè confuſus implacida per ſomnum imagine aperta labia verbis perſinaci niſu accommodans, vocem aſſiduè, at nequicquam aucupatur. Adraſtus incerta ob trepidationem, præcipitiſque manu telum vibrabat in Telemachum. Ille confuſus de Deorum amicitia, clypeò audacter obiectò repreſſit. Credidiſſes victoriam circumdatis alis ſupra caput eius ſuſtinere coronam ſuſpenſam manu. Renidebat ex vultu animus lenis, compòsque ſui. Inter ultima discrimina uſque adeò ſe præſtabat ſapientem multique conſilii,

fili, ut Minervam in eo suspicantes latere veniam ab hac Diva tulissent. Ceterum clypeo frustrante primum spiculum, Adrastus, ut copiam iuveni præriperet pariter emittendi suum, ferrum impigrè stringit. Eoque viso Telemachus, omisso iaculo, manum & ipse gladio suo strenuè admovit.

Utraque acies ut eos cominus ineuntes certamen aspexit; armis sine strepitu cohibitis, totis oculis ad illud, velut decretorium, spectandum se dedit. Amborum gladii (fulgura potiùs) sæpe concurrentes transversi, infligebantur loricis lubricis ex arte, per quas innoxie lapsantes, excitabant inutilem strepitum. Ipsi pugnatōres nunc porrecti in ictum, nunc recipientes corpus in eundem situm, desidentes aliàs, aliàs subito erecti, tandem complexu inter se conferuntur. Hedera, quæ ad infimam ulmum radicem exorditur, segniore nexu se applicat nodis durato stipiti, frondibus inter semet implicatis ad extima usque ramorum torquente flexu serpentibus, quàm ambo adversarii se premebant commissi. Adrastus nihil ex integritate virium suarum amiserat; Telemachus nondum acceperat integras. Ille tota contentione adnitebatur, ut subito æmulum occupatum impotentem faceret corporis. Iamque cogitabat etiam enses extorquere iuveni; at vano consilio. Quippe dum istud dat operam, à Telemacho motus humo in arenam effunditur. Tum verò impietas tam diu superbèque aspernata Deos, mortis vilem spuriumque metum celare non valuit. Erubescibat miser deprecari vitam; desiderium tamen illius præfererat vel invitus. Ut Telemachi pietatem suscitaret: Nunc demum, Telemache, agnosco,

inquit, iustos Deos. Plectunt meritum. Mortales una calamitas veritatem docet. Ego certè nunc illam intueor, sed vindicem. Excitet utinam miseri regis aspectus memoriam longè peregrinantis genitoris tui, misericordiam meâ!

Telemachus utroque poplite obluçtabatur in nixus hosti, pendente in ictum gladio, statueratque guttur eidem præsecare. Tum strenuè respondens: Sociorum meorum, inquit, victoriam & pacem unam præ oculis habui. Non delector cruore. Vive, Adraſte, vive, sed ad deponendam in Deos audaciam. Redde occupata per nefas: redde pacem: redde iustitiam littoribus magnæ Hesperia, quam toties inquinasti latro, toties proditor. Vive, sed alius in posterum à te. Disce casu tuo, Deos iustos, impietatem infelicem esse: felicitatem non parari violentia, crudelitate, mendacio; sed constantia & integritate virtutis. Metrodorum filium cum duobus nobilissimis è gente tua dabis obſides.

His dictis Adraſto, data se allevandi copia, porrexit manum, ratus nunc demum abesse dolo: Cùm ille aliud iaculum excutit, quod ob brevitatem eius commodè occultaverat. Nisi divina fuissent arma Telemachi, profectò recepissent adactum telum; quippe & acutissimum erat, & hostis mira dexteritate intorſerat. Continuo Adraſtus, ne contingi posset a iuvene, se aufert post arborem. Ergo Telemachus elata voce: Palma (quod videtis, Daunii,) nostra est. Fraus, proditio scutum unum sunt impietatis. Mortem timet, qui contemnit Deos. Contemnit omnia, qui Deos timet. Hæc ille concitatore voce. Mox Daunius
immi-

imminens, militem suum, qui stabat trans arborem, dato signo monet, ut perfidum Adrastum arcerent regressu. Ille iam iam supervenientibus, à quibus interciperetur, simulabat referre pedem, paratus, Cretenses, qui se opposuerant abituro, fundere. Cùm derepente velut è Iovis manu præceps in noxium caput fulmen advectus Telemachus hostem occupat: arripit nequidquam repugnantem manu: evertit ceu sævior procella infirmam segetem; contemptisque precibus, quibus ultimò decipere tentabat victoris misericordiam, per ilia traiecto ferro infelicem spiritum expellit in flammam caliginosi Tartari, tantis utique sceleribus eius sustinendas.

TELEMACHUS.

LIBER XXI.

DAunii ubi primùm viderunt Adrastum vitam amisisse, non suam, non capitis sui cladem deflebant; sed reparatæ libertatis munus sibi mirabiliter gratulantes, porrectis ad fœderatos reges manibus pacem veniamque deprecabantur. At Metrodorus, Adraasti filius paternis præceptis ad simulationem, fraudem, & inhumanitatem à primis unguiculis perperam eruditus, in turpem fugam se dedit; cuius quidem comitem servum haud ampliùs unum admisit. Consciis hic domino erat non modò omnium, quæ turpiter & crudeliter gesserat, sed ab eo etiam libertate & fortunis plurimis donatus. Tunc verò scelesto consilio cogitabat bene de se meritum ingenti (quod credebat) rerum suarum commodo prodere.